

# Proœmium.

Rinceps ille D E U S , ut suam hominum generi majestatem demonstraret , rerum in hoc Naturæ theatro quasdam à ḡyptis καὶ à Φιλιππis effinxit . Harum Catalogo cælestes accenseri optimum censuit , quæ suos perrenni motu cursus conficerent , non verò generando sese multiplicarent , ac quandam post funera ( dixisse liceat ) sobolem relinquenter . Alias contra immortales constituit & caducas , easq ; , quō suam singulæ speciem tuerentur , justâ sese lege perpetuare sapienter ordinavit . Hujusmodi sunt , quæ infrà Lunam concinno visuntur ordine digestæ , easq ; difformi ad interitum à Naturâ decretum tramite decurrentes . Aliter enim Elementa dispereunt : Viventia aliter : aliter ex Elementis orta . Primi ordinis corpora mutuis quasi confici vulneribus : Illa morte : Hæc Putredine extingui constat . At non frustrà D E U S O. M. istiusmodi generationum & corruptionum vicissitudines in hoc Elementari tractu fieri vult , sed nos de ipsarum causis sedulò ut cogitemus , ut ita , quām potens ac mirabilis sit in operibus , cognoscatur , nostroq ; unā commodo dextrè propiciatur . Nam quid utile magis & necessarium cuiuslibet artis Anagnostæ , quām Physicam mortis Originem probè perspectam habere . Quid Medicis juxtim ac Philosophis magis ex usu , quām Putredinis Natales accuratè cognōsse . In Medicâ nullius sanè Rei crebrior fit mentio . Quid ? quòd multa hujus Artis Theorematâ solidè exponi , plurimiq ; morbi in Homine à Putrefactione profecti iudicari nequeant , si , quid , qualis sit , & cur existat , illa nesciatur . Philosophi quoque ex multis de Naturâ dubitationibus , & doctrinæ Aristotelicæ partibus absq ; nervosâ hujus materiæ theoriam sese vix expedient . Argumento nobis sunt acerrimæ inter Φιλεσφωτάτης semper motæ de hac Re controversiae , dum nonnulli hoc , nonnulli aliud statuerint , & cui palma decernenda , adhuc sub judice lis sit .